

Xm. 87.

5

ERNESTVS PLATNERVS
VNIVERSITATIS LITTERARVM
LIPSIENSIS

H. T.

PROCANCELLARIVS
PANEGLYRIN MEDICAM

D. III. APRIL. cI*3*cCXCVIII

HABITAM

INDICIT

QVAESTIONES MEDICINAE FORENSIS

V. DE INANIEVS AMENTIAE PROBANDAE ARGUMENTIS
AD DEFENSORES.

ERINESTVS PLATINERAS

UNIVERSITATIS THEATRVM

FIPSIENSIS

PROGAGELTARIA

PANDYRIUM MEDICAM

1711. APRIL. CLOPSKALI.

МАТИАН

THEATRUM

GRANATONIUS MEDICINAE SOLEMNIS

ВІТМУСКАЯ АРХИАБОНА ПАТІЧНА СУДІЛІЯ
ІМПЕРІАЛЬСКАЯ

... iniquitate in malis rebus et in aliis rebus quae sunt iniquitatis. Non enim iniquitas est in rebus quae sunt iniquitatis, sed in rebus quae sunt non iniquitatis. Iniquitas est in rebus quae sunt iniquitatis, non in rebus quae sunt non iniquitatis. Iniquitas est in rebus quae sunt iniquitatis, non in rebus quae sunt non iniquitatis.

Quam legum aequitas, non audacibus et scleratis, sed misericordiis et insontibus reis, aperuit amentiae excusationem, ea saepenumero a defensoribus nimium sollertiaibus et ingeniosis ad criminum atrocissimorum impunitatem traducitur, per quandam calumniam non iuris, sed philosophiae. Nam, ut culpam a suis clientibus et poenam depellant, si morbus non in promptu est, ad naturales habilitates, inclinationes et propensiones confugiunt; quas vel a sanguinis temperamento, vel a neruorum tenore, vel ab aliis abditis causis ita deducunt, ut nihil non impotenti animo reus egisse videatur. Et cum ita culpam in corpus omnem deruant, absolutionis argumentum necessarium se putant attulisse.

Nulla certe prauitas est animi humani, cuius, si non iustam atque legitimam, tamen probabilem causam e corporis prauitate aliqua non tandem eruere queas; praesertim si physiologorum atque medicorum decreta subtilitate acueris philosophiae. Ne malevolentiam quidem excipio; in qua tam vehementer disceditur a sana mente et ratione, ut pro maximis eius iniquitatibus, vel apud me, promta et parata sit amentiae venia, non modo ad ignoscendum, sed etiam ad misericordandum. Atque potest illa cogitatio hanc in animis nostris vim habere, ut multorum hominum, quibuscum vivamus, scutitiam et insaniam, licet non legitimam, id est non per leges

IV

definitam, tanto moderatius ac lenius ferendam arbitremur. Nam etsi nihil ad dolorem acerbius est, quam iniurias et contumelias accipere non temere aut per indignationem, sed consulto et malefaciendi libidine illatas; quales esse solent eorum, qui in odiis, dissensionibus, altercationibus et rixis voluptatem querunt sine alio suo emolumento: tamen illud ipsum quod hinc acerbatis et molestiae percipias, opprimitur cito atque deletur, si intelligas, eos, qui infenso ita in te atque hostili animo sint, fortasse corporis vitio despere atque peccare.

Sed hoc ignoscendi argumentum, quanquam ex interiore naturae humanae cognitione, et omnino ex media philosophia petitum, in causis iudicibus, quae ad inquirenda et disceperanda crimina constituantur, nequaquam suppeditare potest amentiae excusationem talem, qualem iureconsulti exquirunt et probant. Hi enim, praetermissis omnibus controversiis metaphysicorum, hoc sumunt ut certum et ratum, mentem humanam arbitrio et facultate ad actiones voluntarias praeditam esse, et in arctissima societate et coniunctione corporis, huius tamen imperio minime subiectam teneri. Proinde nullam insaniam admittunt, nisi perspicua quadam aegrotatione et alienatione animi significatam: et quantum ad corpus, non illas ingeneratas et naturales infirmitates respiciunt, sed eas tantummodo, quae et vulgari, et medicorum loquendi vsu, ad morbos referri solent. Ideo neque temperamenta, neque perturbationes animi, (recens barbaries passiones appellavit), morbis adnumerant; licet in utrisque multum corporis malignitati attribuatur. Non autem satis est ad amentiam, adesse morbum; sed oportet talem eius, medicorum sententia, vim et impetum in reo extitisse, ut, velut sublata mentis aequilibrate, ratio praeponderaretur. Et ne iudices, ultra hunc medicinae et iurisscientiae modum, insaniae veniam diducant, maxims

ximis legum et reipublicae rationibus impediuntur. Enim vero crimen a fontibus deprecari, id ipsum quoque criminosum est: et qui reos quoscunque omnes insanos efficere student, videant ne, cum ab aliis crimen auertere summa opera emituntur, in crimen ipsi et animaduersionem incurant. Et profecto totum hoc defendendi genus valde suspiciosum est et ad infringendam ac debilitandam legum auctoritatem inuentum et comparatum. Tanto magis aegre fero, quod plerique omnes, qui illo hodie vtuntur, hanc temeritatem et audaciam suam praeceptis et institutis philosophiae corroborare et quasi armare conantur.

Sed interdum ambigo, istorum inficitia magis reprehendenda sit, an incusanda fallacia. Namque illud etiam ipsum, quod disputant contra mentis libertatem, si ita verum esset, vt est apprime falsum, nihil ad culpaे liberationem ponderis haberet. Etenim culpa, (imputatio recentioribus dicitur), alia moralis est, alia ciuilis. Culpa moralis, quae sedem ac fundamentum habet in libertate agendi, ducitur a violatione legis eius, quam, vt Ciceronis verbis dicam, non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa, (vel potius ratione), hausimus, arripiuimus, expressimus. At eiusmodi culpa haec est, cuius homines vix aestimatores se audeant profiteri, iudices autem et puntores esse nullo modo possint. Itaque omne hoc iudicium ad internam cniusque conscientiam et vel maxime ad Deum referunt; et si qua hinc vindicatio statuta esse et animaduersio putatur, cuius rei quandam ideam et formidinem omnium animis inhaerere videmus: tota illa pertinet ad vlciscendam religionem et maiestatem virtutis, nec hominum arbitratu definiatur, sed iustitia nimirum diuina. Culpaे ciuilis autem, (noxam quoque, a nocendo, dicunt), omnis ratio et mensura ineſt in legibus humanis, et, sicuti hae ipsae quoque, publicae rei pec-

riculis et incommodis terminatur. Itaque poenarum per legum sanctiones constitutarum hic unus et proprius finis praescriptus est: iniuriam, violentiam, noxam propulsare, vel, ut idem aliis verbis dicam, et singulorum ciuium, et communem omnium vniuersaeque societatis securitatem incolumitatemque tueri. Legis naturalis internam sanctitatem spectare, aut prauos malis afficere propter prauitatem: hoc nihil attinet ad iudicia, nisi quatenus ex peccantibus prauitate et malitia maius et praesentius periculum reipublicae oboriri putatur.

Iam qui, ut reos tutelae suae commissos tanto acrius atque perniciacius defendant, subtilibus illis et spinosis quaestioneeribus de libertate mentis humanae nos implicare volunt, illamque aut simpliciter tollunt, aut omnibus cerebri et neruorum fibris, tanquam vinculis, alligant: non alsequuntur rationem ac modum culpae ciuilis: ergo etiam in poenarum vel irrogandarum, vel redimendarum caussis vehementer errant. Enimuero poenarum severitas non adhibetur ad vltionem virtutis, sed ad publicam custodiendam salutem; in qua omnis inest gubernatio administratioque ciuitatis. Illam igitur qui turbant maleficio, vt pote fontes et nocentes, etiam si culpae moralis expertes perhibeantur, repellendi sunt, coercendi, opprimendi, hoc est, puniendi; ne amplius nocere aut velint, aut possint. Ad hunc poenarum finem adjunixerunt reparationem damni et audaciae terrorem. Atque his tribus, (nam corrigendi consilium prouidentiae magis et arbitrii est, quam sanctionis), omnis haec legum sanctio concluditur et comprehenditur. Nunc eamus per singula, ut quae amentibus conveniat, vel non conueniat excusatio, perspicue intelligatur.

I. Et prima quidem puniendorum delictorum causa et necessitas, quae ducitur a violentiae propulsione, ita est rei publicae commodis et periculis adstricta, ut ab illa, nisi violato officio

ficio et iure discedi non possit. Ergo omnis vana et inutilis deprecatio est, quam a culpae moralis obscuritate defensores arcessere plerumque solent. Etenim noxa civilis, quanquam expers malitia, tamen propulsanda est et hactenus punienda. At, dicat aliquis, hoc modo ne insanis quidem et furiosis veniam concedatur; quippe qui, si quidem facto violento nocuerunt, nocentes sunt ac propternoxam et culpam ciuilem puniendi. Sed hoc non tam difficulter, atque aliquis existimet, largimur. Namque detinentur illi miseri, custodiuntur, vincentur, imo vero etiam, si opus visum fuerit, castigantur. Ecquid hoc tandem aliud est, quam punire? nisi vocabulo leniori dicere velis coercere. Et siue haec poena sit, siue coercitio: est certe auxilium et praesidium publicae securitatis; quo si quis contra insanos neget vtendum esse, ipse, si non insanire, tamen sine febre delirare videatur. Qua de re si hac parte poenae ne ii quidem liberari possunt, quorum minime dubia insania est: multo minus confitenti reo, cum nulla signa perturbatae mentis apparent, aut culpae moralis obscuritas, aut leuis aegrotatio aliqua opitulabitur.

II. De noxae, per delictum illatae, reparacione, cui in primis et proprie poenarum vim leges voluerunt adhiberi, sic statuendum est, illam, nisi actio laedentis non voluntaria fuerit, haud condonari. Igitur haec vna iudicibus excusatio accipitur et probatur, si ostendus reum impotenti animo peccasse; quod quale sit et quomodo conficiatur, paullo deinceps explicabo. Sed quoniam hic locus aliquid difficultatis habet a praecceptis iuris naturae: quae hinc sunt repetenda, strictum volo enarrare.

Igitur noxa, cuius reparandae causa poena sumitur, omnis inest in laedentis non actione, sed voluntate; et quod actione ipsa illatum detrimentum est, v. g. rei familiaris, id vim haber

ad

VIII

ad obligationem, non item ad poenam. Ut si quis ignem alicuius domui subiecit, domumque instaurare et omnino damnum incendio factum restituere cogitur: id non est poenae, tametsi iuris: propterea quod non ad laedendi voluntatem spectat, sed ad ipsam laesione. Attamen si ad restituendum detrimentum reo facultas deficit, illa noxa et culpa, quae vere inest in mera voluntate, tanto maioris aestimatur, et sic poena traducitur ad ipsam actionem. Itaque noxae reparatio, quam nunc dicimus, non sit proprie compensando, resarcendo, reddendo; sed ad eam satis est, ut reus propter laedendi voluntatem laedatur vicissim per modum vltionis. Atque in hoc inest pars praecipua humani iuris, quod cuique ad se vindicandum natura impertinet, et cuius, in societate civili, quasi vicarium munus ad iudicia publica homines detulerunt.

Nunc quoniam omnis haec noxa voluntate nocentis aestimatur, hoc quidem proclue est, in factum non voluntarium, hacenus poenam cadere non posse: sed multum interest inter factum voluntarium, quale iudices intelligunt, et actionem liberam more definitam philosophorum. Illud sufficiens est ad culpam ciuilem, ergo quoque ad poenam: de culpa morali prorsus non quaeritur. Quae cum ita sint, omnem defendendi rationem sic institui oportet, ut probes, facinus a reo commissum voluntarium non fuisse, sed perturbato et impotenti animo suscepimus; in quo cernitur excusatio amentiae. Nam insani hominis nullum factum voluntarium est, proinde nec laedendi voluntas: ergo, quandoquidem noxa, cuius per poenam expiatio magis, quam restitutio contenditur, ad laedendi voluntatem omnis reuocatur: huius voluntatis non particeps iniuriam nec facere potest, nec reparare, ideoque poena illum exsolui perspicuum est oportere.

At

At vero iureconsulti hoc, medicorum omnium concessu, sumunt ut certum et ratum, eiusmodi perturbationem et impotentiam animi, per quam voluntas de loco et statu dimouetur, si quidem in ea re corporis vitio aliquid sit attribuendum, non oriri a naturali coniunctione mentis et corporis, sed ab huius impulsu quodam violento et inuicto, morbi, licet non semper nomen, tamen vim et efficientiam habente. Qua de re ad probandum amentiam, ut supra dictum est, nihil momenti habent neque animi perturbations, neque temperamento rum proclivitates. In quibus rebus, quandoquidem ad naturalem hominis statum et conditionem pertinent, si necessaria materia et causa inesset desipiendi: omnes tandem homines amentiae veniam participarent, id est, omnes suapte natura forent amentes; quod cilius philosopho alicui ex Diogenis, vel Russauii schola, quam aut iureconsulto, aut medico admittendum videatur. Igitur quantumvis copiose et facunde demon straueris, v. g. homicidam aliquem, ad detestabile scelus excandescens et ira, ad hanc autem bilis sanguinisque aestu et omnino corporis facibus incensum atque inflammatum fuisse: nihilo magis illum legitimo supplicio liberaueris. Nec in eo quicquam abhorret ab humanitate et cultu philosophiae sanioris: quae plerumque defensorum vociferatio atque lamentatio esse solet. Etenim si nullum factum oporteret voluntarium censeri, de quo an non perfecte liberum sit, et nullo corporis vitio commissum, metaphysici queant dubitare: locus plane non poenis in ciuitate relinquetur. Itaque laudanda est iudicium constantia, qui ipsis argutiis non aut legum vocem interpellari, aut sua decreta retardari et impediri patiuntur.

III. Perinde, quatenus ad exemplum et terrorem poenarum necessitas refertur, unum verum defendendi argumentum residet in illa mentis impotentia ac voluntatis. Nam ne

B

hic

hic quidem culpam moralem iudices, sed noxam et vel maxime laedendi voluntatem spectant, vt pote publicae securitati periculosam, praesertim crescente in aliquo genere delictorum frequentia. Sic debet intelligi: cum reus, propter laedendi voluntatem, suppicio afficitur: alii, similium formidine malorum, a laedendi voluntate absterrentur. Sed vt hoc modo, per vim exempli atque terroris, publicae securitati consulatur, eius, a quo poena exigitur et sumitur, malitia et voluntas laedendi comperta esse debet atque manifesta. Quae cum in amentibus nulla insit: propter exemplum in eos animaduertere non magis ab humanitate, quam a legum consilio et fine alienum foret.

Ex his planum et apertum est, amentes atque insanos non propter culpae moralis obscuritatem poena iudiciorum liberari, sed quod in facto non voluntario non ineſt noxa, quam aut ob legum sanctiones et communia ciuium iura vlciscendo oporteat reparare, aut, ad deterrendam peccandi audaciam, acerbitas vel turpitudinis nota quadam insignire. Igitur quoniam sic instituta et comparata iudicia sunt, vt nulla criminis excusatio admittatur, nisi ad noxae et poenae ciuilis ideam apta et conueniens: omnis iam defendendi via et ars in hoc versatur, vt, si modo non abhorret a veritate, reum demonstres noxa carere. Etenim quae ad deprecandam culpam moralem longinquius plerumque, vel ex philosophiae, vel ex physiologiae interioribus litteris, defensores arcessere consueuerunt, ea aut omnino vana sunt, aut, si quid solidi roboris habent, miserationis, non absolutionis, argumentum afferre deprehenduntur.

Scripsi

Scripsi hanc prolusionem, ut per eam publice commendaretur

CANDIDATVS DOCTISSIMVS
 CHRISTIANVS THEOPHILVS WENDLERVS
 DRESDANVS
 MEDICINAE BACCALAVREVS

publica commendatione Ordinis Nostri, cui et inusitatam diligentiam, et egregiam doctrinam probauit, vere dignus.

Natus est a. c. 1600. patre Christiano Ludouico, tunc temporis scholae ad sanctae crucis memoriam consecratae, Collega, nunc facrorum apud Wurcenenses Antistite maxime Reuerendo; matre Joanna Friderica Fiedleria. In primis literarum elementis magistrum habuit ipsum patrem suum. Deinde, his imbutus, scholae Grimmenis disciplinae commissus est, et a Muckio, Hofmanno, Reichardo, Hochmuthio et b. Richtero ad omnem humanitatem institutus. Ita cum litterarum tirocinium deposuisset, A. 1610. ad Academiam nostram accessit Rectore b. Schotto. Hic philosophiae tum Caesari, tum mihi quoque assedit. Et cum theologiae in principio se deuouisset, Burscheri, Rosenmuelleri, b. Mori, Keilii, in hoc genere acroases audiuit. Sed deinde, mutato consilio, ad artem medendi animum et studium suum applicauit. Igitur in physicis Hindenburgium, in historia naturali Ludwignum, in chemia et pharmacia Eschenbachium audiuit. Botanicen ab Hedwigio, anatomem ab Haasio, Ord. Nostri Sen. Grauiss. etiam a Fischerio, physiologiam et a me, et ab Hebenstreitio accepit; quem eundem quoque in materia medica, pathologia, therapia vtraque, denique in chirurgia et medicina forensi magistrum se habuisse, et praeterea quoque patronum,

maxi-

maxime laetatur. Multum quoque ad morborum difficiliorum et obseruatione prae caeteris dignorum, cognitionem se proficisse ait in Kochii schola. Formularum scribendarum artem Daehnio, chirurgiam obstetriciam Richtero in acceptis refert. Laudat gratus et celebrat patronos omnes ac singulos, quorum benivolentia et liberalitate hic Lipsiae fuit adiutus: Academiae nostrae Curatores, a quibus et stipendio Electorali et Oehmiano ornatus fuisset; tum Ordinem Nostrum, qui stipendium Mullerianum in eum contulisset; etiam Bosseckium, Holleferum Canonicum et alios. A. xc^v. post tentamen per colloquia factus est ab Ordine Nostro Baccalaureus, verissimo merito suo. A. xc^{vi}. Vindobonam commeauit, ut communem illum Germaniae praecoptorem, Frankium, audiret et in ipso actu et negotio ad medendi artem institeretur. Hoc anno, habitis auditionibus publicis de febre scarlatina, alterius colloquii causa comparuit apud Ordinem Nostrum, omnium iudicio ornatus sic, ut venia petendi Doctoris iura et ornamenta ei decerneretur, si disputationem publicam antea more majorum habuisset. Hanc habuit d. III. April. super libello, cuius ipse auctor est: de curatione morborum, et praecipuis, quibus ea perficitur, caussis, Praeside Carolo Gottlobo Kuehnio, Philos. et Med. Doctore, Med. Prof. Extraord. Acad. Litterar. Diionensis et Med. Heluet. Sodali, Collega et amico conjunctissimo carissimoque. Ego vero, post habitam disputationem, Cancellarii vice et auctoritate, veniam capessendi sumnum in Medicina honorem, Candidato dignissimo impertui: et illa eadem die Doctoris iura et ornamenta in eum contuli, collataque, tum per has litteras, tum per tabulam publicam, publice indixi.

P. P. F. Pasch. c^ol^oc^cx^cxviii.

EX OFFICINA KLAEBARTHIA.

26n 598

(1443)

ULB Halle
002 043 564

3




56


6028

hc





B.I.G.



5
ERNESTVS PLATNERVS

VNIVERSITATIS LITTERARVM

LIPSIENSIS

H. T.

PROCANCELLARIUS

PANEGYRIN MEDICAM

D. III. APRIL. C^ICC^ICC^XC^VIII

HABITAM

INDICIT

QVAESTIONES MEDICINAE FORENSIS

V. DE INANIBVS AMENTIAE PROBANDAE ARGVMENTIS
AD DEFENSORES.